

Cui suc-
cedit in
Episc.
Traject.
Otto III
Hollan-
diæ Co-
mes.
*Beka in Ot-
tone III
Episcopo
Herda in
Ottone III.*

num Ordinis Cisterciensis Cœnobia è fundamentis exstruxerat, magnifico etiam tumulo decoratus est. Incusantur nostra passim ætate à malevolis Scriptoribus Episcopi haud alio magis, ut præferunt, offensi, quàm quòd posita sacra toga, militare sagum, armaque induerint. At quid ex Episcoporum bonis & donationibus priorum Cæsarum retenturi fuissent? cum non modò vicini circum Comites ac nobiles, sed eorum præfecti rebellare, castraque & jurisdictionem & possessiones per spolia rapere ab Ecclesia visi sunt. Inciderunt jam dudum illa tempora, quæ belli necessitatem imposuere, & Comitum Ducumq; filios deligere Episcopos suadebant, quorum auctoritate, & potentia familiæ adjuti patrimonia Ecclesiarum conservarent, & rebellium populorum injurias continerent. Eò & Willebrandi Successor delectus Otto tertius Florentij III Hollandiæ Comitis filius, Florentij IV Comitis frater, Wilhelmi Imperatoris patruus ac tutor, gubernatorque tertius Hollandiæ. Hujus Episcopi fortitudine debellati Trentones subactaque Covordia, ad obsequium populi redacti, ac tota Twentia ex rebellium spolio Ecclesiæ Trajectensi reddita est. Hactenus Willebrandum Episcopum nostrum per Trajectensem Episcopatum profecuti sumus, nunc ordo temporum ad res patrias revocat, quas subsequenter deinde libris latius prosequemur.



INDEX